

Heinrich Rahn Fridericus Klinckovius

## **Dissertatio Academica De Ratione Status,**

Rostochii: Kilius, 1652

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732595835>**

Druck Freier  Zugang



FRU

Diss. jur. 1652

Sinn des Staates

H. Rahne

(Friedrichs. Klinckowius) /c

1652.



Q. C. B. F. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
R A T I O N E  
S T A T U S ,

*Quam*  
P R A E S I D E

*Viro Amplissimo & Consultissimo,*  
DN. HENRICO RAHNEN, J. U. D.  
& P. P. ut & Consistorii Ducalis Af-  
fessore, Fautore & Hospite suo  
honoratissimo.

*Exhibet, & publico examini submittit*

FRIDERICUS KLINCKOVIUS,

Stralsund. *postea Professor Regij Turbina-*

*Ad diem 13. Novemb.*


*lis Wismariae.*



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILL, Academ. Typogr.  
Anno M. DC, LII,

DISSEMINATIO  
DE  
STATU

DR. HENRICO BAHNEN LUD.





C. B. D. *Guaribus Deco*

## De Ratione Status Dissertatio.

I.



Gregia est, & ex intimiori profecta prudentia Velleji Sententia (2.11. 3) *quæ, ut hominum, ita urbium imperiorumq; nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire pronuntiat*: Deplorat vir magnus dubios rerum humanarum casus, cum omnia, quæ sub sole sunt, suis obnoxia sint vicissitudinibus; Scilicet est ista mortalium conditio, ut suam quisq; experiatur sortem, variisq; vita nostra fortunæ proposita sit relis; & nemo quisquam est, qui ejus non sentiat minas, aut ab omni iniquitate sit immunis.

II. Neq; vero solum unicuiq; nostrum ista accidunt, sed multo magis regna, resq; publ. tanta percutiunt mala, ipsusq; quotidie imminet interitus, sive eum afferat ipsa rerum natura, & quæ omnia consumit, vetustas, sive facinorosorum quorumq;, qui in republ. tanquam sentinam confluere solent, malevola turba: alterum cavere eo erit inanius, quod fata mutari nequaquam possint, & natura ita comparatum sit, ut suos quæq; repetant ortus; alterum eo difficilius, quo minus ad evertendam tranquillitatem communem scelerati quicquam faciunt reliqui.

III. Commune enim est magnarum rerum publ. malum, ut non minus cum externo hoste sit conficiendum, quam quos intus alunt, profligatis hominibus, quorum tanta est perversitas, ut seq; remq; publ. obstinatis animis possint ire perditum; neq; enim unquam desunt, *quibus*, (ut genuinum catervæ Catilinaræ characterem ex Sallustio c. 21. huc transferre liceat) *mala abunde sunt omnia, sed neq; res neq; spes bona ulla, iis quieta movere magna videtur merces*; quippe est ista improbitatis contra-gio, *ut publica malit ruina occidere, quam sua proteri* (Vell. 2. 91. 4.) & quo quisq; pessimis est moribus, ita subverti republ. mavult, quam minus valere.

A 2

4. Ser.

IV. Serpunt paulatim ista mala, nec, ubi consistant, reperiunt, ideoq; valde eorum alacritate & virtute opus est, quibus rerum commissa est summa, ne improbis consiliis quicquam liceat in republicam: Emicat enim instantibus improborum machinationibus Summi viri magnitudo, non secus ac gubernatoris exploratur virtus, qui inter Scyllam & Charybdin, spe atq; constantia tempestatu respondente, clarus cœloq; proximus intrat portum.

V. Sicuti autem diversæ sunt artes, quibus respubl. oppugnare aggrediuntur improbi, ita quoq; non eadem sint media necesse est, quibus illa, quo minus locum inveniant, præcaveri possunt, salusq; conservari. Ut sanitatem restituat medicus; oleo, emplastris, poculis uritur, secat, urit: Ut portum incolumis intret prudens gubernator, mutat nonnunquam vela, & si aliter obtineri nequit, jacturâ, quicquid fervari potest, redimit; ita non iisdem utatur oportet artibus, quisquis à nefariis sceleratorum consiliis sese vindicare, suamq; respubl. constare vult tranquillitatem; neq; hic minus interdum probanda est illa medicina quæ sanat vitiosas respubl. partes, quam quæ excecat. Cic. 2. ad Attic. Ep. 1. p. 33.

VI. Mihi equidem cum more Academico dissertationem proponere animus esset, imprimis illa placebat materia, quæ rationis status nomine signari solet, ejusq; regulas prope attingit, non modo quod ex interiori ac nobiliori civilis prudentiæ esset tractatu, verum etiam, quod in re tam subtili, delicata, ac recondita sapius deerrari, legibusq; artis vis soleat inferri: Scilicet est ita comparatum, ut quo quid in rebus humanis maxime eximium, electum ac nobile, ita crebriori temeratur abusu, aut in species virtuti atiq; similes deslectitur.

VII. Amplissimus est hujus materiæ campus, omnesq; respubl. pervagatur partes, quo excusatius mihi erit, si in his angustiis minus singula pervestigavero, quæ huc referri poterant; Illud satis habeo, si hos exigui ingenij conatus viris eruditus non improbari cognovero, quibus ut ad majora aliquando certa hinc exsurgat spes, vehementer opto.

VIII. Rationem status alii aliter interpretantur. Sunt, qui omnem regendæ respubl. rationem sub hoc nomine complectuntur, quod recte fiat an secus, nihil attinet dicere, non displicebit, spero, Viris magnis, si consuetudini seculi obsequentes hunc argumenti titulum seu appellationem hic retineamus, ita inducti, civilis prudentiæ disciplinam

pliam magis communi sensu, quam scrupulosa dictionis anxietate, esse metiendam.

IX. Itali primum (quorum ingenia subtilis in rerumpubl. tractatu exercuit cura) climata hanc doctrinam miserunt in lucem. Post Italos non minus egregia nostrorum scriptorum in hac doctrina eluxerunt ingenia: Sed neq; Italis hoc solum concedendum, quia rem ipsam usumq; ejus veteribus etiam fuisse cognitum, cum historiarum monumenta, tum Aristotelis de Civili prudentia libri restantur.

X. Ad *Status* verbum quod attinet, cum ejus varius apud Scriptores sit usus, operæ precium erit, in ejus significationem, ut eo promptius deinde ad rem ipsam accedere liceat, inquirere. Vetustissimam vocis significationem tradit Lipsius (2. Saturn. Serm. 20.) ubi illam ex arte posituram, in quam se gladiato res componebant &, (ut ipse loquitur) in arma colligebant, *Status* fuisse dictam pluribus probat; Inde illæ apud bonos auctores locutiones. *Status præliantis componere, de status dejicere, status conturbare*, quibus non absimilis est locus Nepotis in Chabria 1. 3. *Illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluit* ubi status idem est, quod corporis habitus seu positura, illa scilicet, quæ suos novâ ratione pugnare docuerat Chabrias. Elegans ab hoc more gladiatorio ad animum traducta est metaphora, quæ non rarò scriptores utuntur, ut sunt, *deji i, deturbari de statu animi, de statu mentis*; Nec infrequentius pro conditione s. ratione rei alicujus usurpatur, ut est illud apud Tacit. 2. histor. 10. 2. *mox attritis opibus, lubrico statu suspecta etiam Claudii iracundia in secretum Asia repositus*. Ubi lubricus status nihil aliud, quam lubrica vitæ ratio. Ita Vellej. 2. 72. 5. *quippe nullum statum habentibus quilibet duxerat idoneus*, quem locum Cl. Baclerus ita interpretatur, ut idem sit, nullum statum habere, & nulla conditione vitæ tolerabili uti. Nepos. 10. 4. 5. *Status vitæ commutatum ferre non potuit*. De ipsa forma rei publ. seu modo regiminis accipe illa apud Vellej. 2. 35. 4. *Sic impendentia ex nimis incendiisq; urbis & commutatione status publici pericula exposuit*, ut & 2. 91. 2. *erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent*. Ita Cic. ad Qvir. post redit. p. m. 289. *Salutem meam, Statum civitatis, dignitatem ejus imperij, quod erat pennis ipsos prodiderunt*.

XI. Apud Classicos vero auctores hodie *Status* verbum sumitur pro ordinibus rei publ. Imperij ve: ita olim in tres ordines cives Rom. erant distributi, Senatorium, Equestrem & plebejum secundum illud Aufonii

*Martia Roma triplex*, qui ordines hodie status vocantur, quales quoque tres Gallia agnoscit, ecclesiasticum, nobilem, & populi, qui ex imperio regis convocantur, ipsaque ista comitia generalia *status regni* vocantur vide *Tholozan. de Repub. l. 4. c. 1. n. 14. l. 24. c. 4. n. 8. & c. 5. n. 4.* Licet *Philip. Honor.* quartum addat & tribuat plebi, in *descrip. Polit. Stat. in regn. Gal.* In Imperio nostro Germanico *Status* sunt, quos vulgo *Stände des Reichs* appellamus, suntque membra imperij de quibus *Reintint. de regim. secul. & eccles. l. 1. Class. 4. c. 2.*

*Def*  
XII. Cæterum ex his nulla explicatio ipsam vim seu veram status in hac materia significationem exprimit: quanquam enim status verbum ipsam non raro *Republ. s. formam regiminis* denotet, unde si ludere placeret, *status rationem, causam administrandæ reipubl. diceret*; longe tamen secretior prudentiæ civilis pars est, quæ hodie sub hoc nomine circumfertur: *Administratur quidem ratione status Respubl. sed modo profus extraordinario, Conservatur salus populi, sed per tramites & ambages, non directe semper & palam; medentur regulæ status, sed mediis admodum acerbis, & ad speciem nonnunquam injustis; succurrunt, sed in extrema plerumque necessitate.*

XIII. Vicina admodum hæc est doctrina ei, quæ est de arcanis rerum-*publ.*, nec incommode (si latius loquaris) referri potest ad *σφισματα τῶν πολιτείων*, aut quæ *Tacitus* passim vocat *arcana imperii, arcana dominationis, arcana, jus regni, vim imperii, vim principis.* *Aristot. l. 3. c. 16. παρβασιλείαν*, item *δικαίον πολιτικόν* &c. quanquam, si accuratius omnia ad artis regulam revoces, & hæc plurimum à se invicem distent.

XIV. Arcana namque & si eundem sibi habeant finem propositum, salutemque publicam, non minus quam status regulæ conservare laborent, diversis tamen eunt mediis; *Illæ per obscuros tramites ambulantes rectæ nonnunquam pergunt; illæ si prodesse velint, egregie sese occultent, oportet, ne, dum fallunt, fallere videantur; hæc etsi celare nonnunquam utile est, tamen id non est perpetuum, produnt enim se, simulac finem suum sunt assecutæ; illæ blandimentis ut plurimum & inanibus fallunt simulacris; harum vis est acerbior, magnamque ab initio injustitiæ præ se ferunt speciem. Quæ omnia hisque affinia alia subtili rationem status ab arcanis separant discrimine.*

XV. Quâ ratione etiam disjungenda erant arcana & jura imperii ac dominationis, nisi illa proxiora essent, quam ut in transcurso dici possent. *vid. Clapmar. de arcan. l. 1. c. 8. 9. 11. & l. 3. c. 1.* Ad jura vero dominationis quod attinet, proxime omnium illa ad rationem status accedunt, suntque ejus fundamenta & veluti *συνέχεια*. De his enim intelligenda illa Tacit. de summa Principatus vi loquentis, *ubi consiliis vincerentur, ad jus imperii transibant 2. histor. 40. 3. & 5. ann. 31. 2. apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur. Velleji quoque illud 2. 68. 4. In eo regni voluntatem, & penè vim dominationis expertos esse itemque Curtij. 10. 8. 1. Jus imperii Perdicæ morte sancendum erat.* Unde parum interesse arbitror, rem vel ratione status, vel jure dominationis, vel jure imperii, vel regni voluntate, aut vi dominationis gestam dicere. Scipio autem Ammiratus, in suis ad Tacit. discursibus *l. 12. c. 1. regnativam hanc dicit prudentiam.*

XVI. Sed quocumque tandem nomine appellare libeat, nos rem in medio relinquentes *rationem status dicimus esse prudentiam gubernandi rempublicam extrâ aor dinariarum, & à communibus regulis recedentem propter salutem reipubl. & securitatem imperantium*. Duo enim ista in Repub. maxime advertenda sunt, ut salus conservetur populo, iisque securitas, penes quos est imperium.

*Ratio status  
est ipsa causa  
per quam ab in-  
terveniente legibus  
liberatur ac  
esse recedere  
legibus*

XVII. Ad hanc ergo asserendam felicitatem publicam (nam eandem esse utilitatem imperantium & singulorum, ne dubitari quidem potest) cum optimus quisque, tum imprimis iij, penes quos est rerum summa, magnopere elaborabunt, huc omnem curam omnesque cogitationes revocabunt, *tantumque se officio functos arbitrabuntur, quantum communi hominum consuluerint utilitati* ut loquitur Cic. 3. Offic. Scilicet est hæc summa illa ratio, ad quam omnia dirigi debent, quæ in civitate sunt, nisi velimus ipso fine societatis civilis excidere.

XVIII. Cæterum sicuti non eadem semper est rerum facies, sed omnia prona sunt ad interitum, mutanturque in pejus, ita viri prudentis est in omni tempestate res cunctas sic moderari, ut ubique virtutis & salutis publicæ videatur habuisse rationem, nec nocet hic, si recta non possis, *oculto magis tramite, quam aperta via hanc petere laudem Valer. 7. 5.* Rara est felicitas, ex voto rem gerere, contra tanta est improbitatis contagio, ut si rempub. salvam velis, non semper unum illud ad laudem, quod cum virtute est conjunctum, iter tenere possis; flectendum nonnunquam, temporibusque inserviendum, nisi omnia velimus subvertere. In navigando

gando tempestati obsequi artis est; Inter Syrtis (quæ in extrema Africa cum ventis mutantur, locumq; periculosum faciunt transeuntibus vid. Sallust. Jug. c. 78.) secundum vada dirigere cursum laus est; δειπποισιν alia sanant, alia δουρτωνισιν; ita (ut Ciceronis verba huc accommodare liceat 1. ad Famil. Ep. 9.) cum omnibus in administranda reipubl. propositum esse debeat cum dignitate otium, non idem semper facere, sed spectare debemus.

XIX. Hinc est quod extraordinariam hanc diximus prudentiam, recedit enim illa ab ordinariis regundæ reipubl. præceptis, & juri communi derogat propter publicam utilitatem. Hujus enim acerrimus est vindex ratio status, omniaq; sibi condonari postulat, si, dum hanc conservare studet, nonnunquam privatis vim videatur inferre; *privatarum enim rerum, ut quæ teste Livio 2.30. semper offecere officentq; publicis, parum curiosa, omnia ad publicam refert salutem.*

XX. Durior hæc videtur, maximamq; ab initio iniquitatis præ se fert speciem, unde raro iis probari solet, quibus in sola virtute superstitione nimis hæret animus, tantumq; ab æquitate se aberrasse arbitrantur, quantum ab una illa, quam tanta cum religione colunt, virtutis sibi deflexisse videntur via; quod etsi ita est, omninoq; fatendum, *nihil esse in vita sine virtute laudabile Cic. 4. Tusc. Quæst. c. 10. valde tamen vercor, ne rigidi illi Carones illud Ciceronis audiant (2. Attic. Ep. 1.) dicere illos tanquam in Platonis μαδρεία, non tanquam in Romuli face sententiam; nocet enim interdum priscus rigor nimiq; severitas, cui pares esse non possumus Tacit. 1. Histor. c. 18.*

XXI. Quin & ista iniquitas, quam tantopere verentur, nulla est, si cum publica comparetur utilitate, quæ facile exsuperat omnem speciem injustitiæ, quæ quis posset offendi. Optime Cassius apud Tacitum 14. Ann. 44. *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Stare ergo debemus tanquam in orbe aliquo reipubl. qui quoniam versetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius utilitas salusq; converterit Cic. Orat. pro Planc. p. m. 403. nec minus hic probanda illa medicina, quæ sanat vitiosas reipub. partes quam quæ exsecat 2. Att. Ep. 1. *Salutaris enim rigor interdum vincit inanem speciem clementiæ Ep. 1. ad Brut. & Majestas imperii salutis est tutela Curt. 8. 5. optimumq; interdum misericordiæ Genus est occidere, Seneca 1. de ira.*

XXII. Scilicet incidunt sæpe illa tempora, ut vel externa quædam vis,  
vel

vel inevitabile aliquod damnum, vel singularis quædam utilitas hujusmodi nobis imponat necessitatem, ut, si rempubl. tueri velimus, omnino recedendum sit à consuetudine communi, legibusq; reipubl., & tum *laus virtutis necessitati danda* Fab. Inst. 1. c. 8. *illa enim magnum humanæ imbecillitatis patrocinium omnem legem frangit* Senec. 4. *Controvers.* 4. 26. *illa navigia factu exarserat, ruinis incendia opprimit, illa lex temporis, illa ultimum illud & maximum telum* quod rebus atq; hoc, iniquissimis æquissimam præbet exculationem. Unde apud Romanos *ista forma Senatus Consultii ultima semper necessitatis est habita, Viderent Consuls, ne quid respubl. detrimenti caperet* quo jubebantur *σώζειν τῆν πόλιν ὅπως δύναται*, *vid. Liv.* 3. 4. & 4. 28. *Sallust. cat.* 29. *Clariss. Boeclerum ad Vellej.* 2. 6. 4.

XXIII. Adeo verum est, quod diximus, esse publicam utilitatem summam illam rationem, ad quam omnia referri debent, quæ in civitate sunt, ut merito illud obtineat: *Salus populi suprema lex esto*. Hanc ergo quisquis conservare studet nunquam aberrabit, *semper enim officio fungitur, utilitati hominum consulens & societati, quemadmodum contra hujus derelictio contra naturam est* Cic. 3. *Offic.* 15. 16. & c. Hujus enim tanta est vis atq; dignitas, ut si ordinaria via illam tueri non liceat, ad extraordinariam confugere fas sit. Cedunt enim semper publicis privata, & quo *universa respublica pluris est, quam privata domus, tanto majori cura illa administrari, quam hæc peti debent* Sallust. *Jug.* c. 85. *Et quicquid publice salutare non est, id privatim alienum existimare decet* exemplo Scipionis apud Vell. 2. 3. 1. *Sicut contra, omnia quæ Reipubl. sunt salutaria, legitima etiam & iusta habenda sunt* Cic. *Philipp.* 2. p. 362.

XXIV. Ceterum antequam hic abeamus, penitius aliquanto hæc penfitanda sunt, ne dum prodesse volumus, maxime noceamus; nefas enim, quæ ad salutem reipub. excogitata sunt, illa in pestem perniciemq; converti. Est ita comparatum, ut semper vitia comitentur virtutes, excusenturq; illarum vicinitate, *bona aliena largiri, liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo vocatur* (Cato apud Sallust. *Cat.* c. 52.) ita eximia quæq; in rebus humanis flagitiis atq; turpitudini sunt obtentui. Neq; melatet illorum ratio, qui omnia sua scelera & dominandi libidinem hoc publicæ utilitatis velamine regunt. Næ illi frustra sunt, qui *rem optimam ad salutem reipub. inventam, in pestem perniciemq; humani generis convertunt*, simulac enim scelerum, quibus Deum, naturam & æquitatem oppugnant, ratio reddenda, hic prætextus accersitur, hoc velamine tegitur.

B

25. Cre-

XXV. Crevit paulatim ista perversitas, tantasq; cum tempore sumsit vires, ut nunc propemodum perinde sit, ratione status aut sceleribus rem gestam dicere. Inde tot summorum virorum invectiones, qui has (ut dicunt) ab Etruria (nam Italis potissimum autoribus ad nos pervenisse, jam supra diximus) artes rejiciunt, abominantur, detestantur. Scilicet non istam tuendæ reipubl. rationem etiam extraordinariam, (nam posse nonnunquam publicæ utilitatis causa à legibus recedi, nemo sanus negabit) improbant, sed illud male eos habet, quod citra necessitatem prætereuntur, ipsisq; Dei, Naturæ & Gentium legibus vis infertur.

XXVI. Quamquam enim publica salus omnem vincat speciem iniquitatis, ejusq; favorem ultra fieri possint, quæ legibus patriis aliter præcipiuntur, nunquam tamen id locum invenit, nisi id vel extrema urgeat necessitas, vel singularis quædam, quæ minime negligenda est, reipubl. illud imperet utilitas. Stultum enim putat Tiberius apud Tacit. 3. ann. 69. 3. imperio uti, ubi legibus agi potest, quemadmodum in tranquillo tempestate adversam optare dementis est, subvenire autem tempestati quavis ratione sapientis, teste Cic. 1. Off. 25.

XXVII. Ista autem necessitas, qualis intelligenda sit, imprimis definiendum, non enim quævis difficultas (liceat enim hic uti Summi Viri Boecleri verbis ex discursu s. ad Plinij Panegyrii n. 15.) multo minus quævis utilitas aut jactura, sed nec ambitio dominantium, aut quodcumq; sui fastigii commodiq; causa potius, quam publici boni respectu suscipiunt imperantes, deniq; nec tyrannorum securitas, quam sollicite custodiunt, verum ipsius reipubl. honesta & generosa è periculo liberatio, cum remotione obstaculorum, ad quæ nulla necessitate absoluta obstringimur, hoc nomine suscipi excusariq; potest. Nequaquam autem hic intelliguntur ista, ad quæ violanda nulla nos necessitas, nulla vis subigere potest. Dei dico, Naturæ Gentiumq; jura, quæ sola nullâ superantur necessitate, nec ulla ratione mutari possunt, manent ergo civiles tantum leges, quæ detrahi sibi nonnunquam patiuntur, ut sui conservetur reipubl. tranquillitas, à qua habent vigorem. Id ut clarius elucescat, altius repetendum.

XXVIII. Est Majestas summa illa in reipubl. dignitas, summa illa potestas, quæ nihil se superius agnoscit in sua reipubl.; nullisq; se alligari patitur vinculis; ipsa contra, prout expedit reipubl., quamcumq; vult legem ponit, cui parere singulos fas est. Harum legum auctoritas, ut semper sancta

sancta sit, & cum reverentia quædam observetur, majestatis est providere, quemadmodum si usus illud postulet, aut necessitas requirat, illas vel augere vel minuere, corrigere & mutare eadem valet. Neq; hoc solum, verum etiam ipsa se majestas tueri debet adversus ea, quæ ruinam ac interitum præsentem minantur statui; id quod adeo verum, ut si aliter salva esse non possit, omnes leges hujus cedant utilitati, aboleriq; se patiantur citra ullius injuriam; Scilicet ita æquum est, ut quæ ad salutem reipubl. inventa sunt, illa cum ipsa utilitate tolli, ne in perniciem vertant, quæ debent salutem.

XXIX. Neq; verò Civiles tantum leges hanc patiuntur vim, quin potius usq; adeo late patet hæc ratio, ut ne ipsa quidem imperij jura, seu leges, quas fundamentales dicunt (in quibus ipsius majestatis maxima pars sita est) ab hac necessitate, quam ultima vis excutit, eximi possint; quoniam enim ex his legibus, dicente Valerio apud Liv. 34. 6. quæ perpetuæ utilitatis causa in æternum latae sunt, nullam abrogari debere fateor, accidit tamen hæc raro, ut satius sit cum prudentia quædam declinare tempestatem adversam, quam contumaciter resistendo omnia ruinæ ac interitui dare; semper enim illud Ciceronis nobis propositum esse debet, *ex duobus malis minus esse eligendum 3. Offic. 1.*

XXX. Experiuntur ergo hanc necessitatem omnia ista, quæ publici boni respectu superantur, & quæ ordinis ac formæ causa in republ. inventa hominum instituto valent mutanturq; sunt enim hæc ita comparata, ut facile supra ea ascendat publica utilitas. Nequaquam autem hic includuntur Divinæ leges, Naturæ, Gentiumq; instituta, sunt enim illa majora, quam ut ulla vincantur necessitate, cum & ipsa Majestas, quæ alias legibus dicitur esse soluta, nequaquam ab his eximi possit, quippe quæ sunt vincula humanæ societatis, quæ si dissolvantur, ipsam societatem, qua nihil præstantius in rebus humanis, interire necesse est. *His enim repugnare, inquit Cato apud Cic. 1. 2. nihil aliud est, quam gigantum more cum diis pugnare.*

XXXI. Sint ergo hæc velut carceres & cancelli, extra quos evagari rationem status non liceat; nam omnia necessitati facere pervia, ita ut etiam in has, quas modo diximus, leges vim suam exferere liceat, illud verò extremæ dementiæ est. Vera sunt illa quæ vulgò dicuntur, necessitatem carere lege, necessitatem ne Deos quidem superare, secundum, præcos apud Livium 9. 4. Sed nequaquam hæc ita accipienda sunt, ut

etiam includantur Dei, Naturæ gentiumq; leges; neq; enim, ut Deum contemnas, fratrem interimas, turpiter vivas, foedera frangas, ulla vis aut necessitas subigere debet; quisquis enim es, si bonus es, nulla re ab honesto deterreberis: Præcis autem illis, facile erit condonandum, illi enim tantam factorum credebant vim, quæ nulla ratione posset evitari. *vid. Erasmi adag. 40. & 41. cent. 3.* qualem cum nos non agnoscamus, frustra etiam erit inde quærere præsidium. Maneat ergo hisce legibus suus honos, sua sanctitas, sua reverentia, quippe quæ nunquam absq; scelere violari possunt, quarumq; pœnam nulla vis excusare valet aut necessitas.

XXXII. Quod si fiat, illibataq; semper hîc servetur sanctitas, nihil dubito quin cetera omnia, quæcunq; tandem sint, publicæ cedant utilitati; neq; enim rem ullam vel exempli novitate tam inauditam, vel facti insolentia tam inusitatam inveniri posse arbitror, quæ non æquissimam induat speciem, si publico introducatur bono, amittit enim omnem iniquitatem, non secus ac remedia aspera & venenata, quorum vim non sentimus, cum convalescimus.

XXXIII. Hactenus quidem ea potissimum memoravimus, quæ vim vocis spectant, usumq; rationis Status in republ. propriæ attingunt, quancquam tanta festinatio non respondeat dignitati materiæ; neq; enim nobilissimum argumentû descriptione plena disertaq; in tanto transcurso complecti potuit, quippe cujus indoles non nisi sigillatim & in media exemplorum luce explicari amat; est enim ita in mediocri quavis materia, ut, quæ verbis subtilius, quam satis est, explicari videntur, vitâ (verba sunt Ciceron. i. Paradox) factisq; summorum virorum fiant illustriora. Age ergo tentabimus, an exemplis nobis quicquam possit accedere lucis, iisq; conciliari fides, quæ hactenus à nobis sunt dicta.

XXXIV. Afyla, (ut illinc assertioni nostræ constet veritas, unde afficti ærumnarum solent petere præsidium) primo loco hic referri merentur. Imitamur ea in re Clapmarium 4. arcam. 5. qui hinc dominationis jura explicare aggreditur. Ea autem intelligimus, quæ reipubl. causa, aut ad minuendam miseriam inventa, eorû supplices sanctitate atq; religione loci tuentur, ita ut inviti inde extrahi non possint. Ea res, sicuti æquissima est, ne miserum casuq; nocentem semper perdat legum severitas, ita quantum faciat ad augendam rempublicam, magno docuit exemplo Romulus, qui cum Italiam à Tyrannis teneri videret, daco

dato asylo facile ad sese pellexit, qui tædio rerum domesticarum nova exoptabant, vid. Dionys. Halicarnass. 2. 15. idq; primum ad ceptam magnitudinem roboris fuit Liv. 1. 8. Eodem artificio Thefcus Athenas, Thebas Cadinus amplificavit vid. Herod. 2. & Plutarch. in Thefeo. Ceterum & illud Reipub. interest, ne supplicia delictis sint graviora, aut semper sequatur vindex manus; hinc illæ civitates, quas Deus ipse instituit, quæ tuerentur eos, quibus præter spem humanitus quicquam contigisset, aut qui invitæ cæde se maculassent. Num. 35. 9. Josue 20. 2. Hinc statux Principum, hinc aræ aliq; loca, quæ vel religio Sancta facit, vel principum instituto valent. Crevit hac in re tanta Gentilium superstitio, ut etiam aperti criminis convictis parcerent, neq; enim Pausaniam, cum ad ædem Minervæ confugisset, inde extrahere sunt ausi, sed potius valvas ædis obstruxerunt, templumq; sunt demoliti, quo facilius sub dio periret Nepos in Pausan. c. 5. Quin usq; adeo hæc valuit religio, ut ipsum victoriæ cursum armorumq; cohibere potuerit sævitiam. Hinc inter eximias Agesilai laudes ea præcipua numeratur à Nepote in ejus vita c. 4. quod cum pleriq; hostium ex fuga in templum Minervæ se coniecissent, eos vetuerit violari, iraq; suæ (nam aliquot vulnera eo prælio acceperat) ante posuerit religionem. Hac quoq; spe Perseus ingenti prælio victus in Samothraciam insulam profugit, templiq; se religione supplicem credidit vid. Vellej. 1. 9. 4. ibiq; Boecleri notas. Sacram enim hanc insulam, & augusti totam atq; inviolari soli credebant Liv. 45. 5. Cavendum tamen hic sedulo, ne, quæ ad salutem Reipubl. inventa sunt, illa scelerum foveant impunitatem.

XXXV. Quemadmodum autem ea maxima rerumpubl. est felicitas, si tranquille eis absq; ullis motibus esse liceat, nullisq; concutiantur defensionib; civilibus; ita vix ista contingere nobis potest, nisi subinde cum temporibus nostra mutemus consilia. Quoniam enim omnes mutationes non nihil secum trahant calamitatis, incidunt tamen ea nonnunquam tempora, ut *stultum sit, quæ mutari non possunt, convellere malle, quam tueri.* Cic. pro Balbo p. m. 12. Hinc prudentissimus quisq; ita haberi solet, prout temporibus cedere, suaq; consilia ad conservandam republ. convertere novit. *In tantum hic Romanorum eminent magnitudo, in quantum humana intelligi virtus potest;* etenim quoniam legum semper fuerint observantissimi, nec facile sese abduci passi sunt à moribus institutisq; patris, nequaquam tamen illud in tantum obtinuit, *us priscus ille*

rigor nimiaq; severitas, cui interdum pares esse non poterant, nocere possent, quin potius, quomodo in republ. temporari aptari deceat, optimis docuerunt exemplis.

XXXVI. Hinc post reges exactos Dictatura, hinc Decemviralis potestas, hinc Tribunis communicata Consularis dignitas, quæ pro captu ac necessitate temporum salutari exemplo inventa atq; mutata sunt. Ad Dictaturam quod attinet, quoniam magnis liberisq; civitatibus semper summa unius potestas sit formidolosa, nec quicquam magis cavere soleat, quam ne in tantum unius crescat autoritas, ut reipubl. possit esse terrori, fuit tamen illa Romanis in rebus trepidis ultimum consilium teste Livio. 4. 5. 6. quo bello paceq; quoties reipubl. pericula desideraverunt, usi sunt; & sanè felici successu, sopita enim sæpius bella ingentia, compositi maximi motus, luxurians libertas repressa, nimia autoritas in ordinem redacta, conservataq; omnino est plebi sua libertas, opprimatibus autoritas, Reipubl. tranquillitas. Ita summa illa potestas, quæ alias interitum minuitur, & anxie cavere solet, his, cum prudenter adhiberetur, saluti fuit. Scilicet ita in salutem convertere, quæ maxime videntur nocere, prudentia est; ita à venenis petere remedium, juvat nonnunquam. Equidem non est diffidendum, Populum Romanum (ut Vellejus monet 2. 28. 2. non tam desiderasse usum Dictatoris, quam timuisse potestatem imperii, usi tamen sunt eam ad vindicandam maximis periculis reipubl. & sanè non ita stricte hæc Velleji verba accipienda sunt, Desideravit enim usum, neq; (verba sunt Cl. Bœcleri ad hunc locum) cavere omnino potuit hoc remedio adversum libertatis vitia, sed non sine timore accessit ad presentissimi remedii strenuitatem, sicuti peritissimi quicq; medicorum fortissima & maxime strenua medicamenta non quidem penitus omittunt, sed cum cura & sollicitudine adhibent. Optime igitur Romani, qui timuerunt quidem summam illam potestatem, ita tamen ne inanis timor officeret reipubl. vid. Dionys. Halic. c. 5. 79. & seqq. Clariss. Bœcl. ad Tacit. 1. ann. 6. 1. Machiavel. 1. Discurs. c. 34. aliosq;.

XXXVII. Nec minorem laudem illud meretur, quod cum perpetua essent certamina inter Patres & plebem, ad firmandam concordiam, communi consensu Decemviros creaverint, qui leges scriberent, finemq; æqui juris constituerent; Ita enim ipsi de se prædicant in concione apud Livium 3. 34. se quantum decem hominum ingenii provideri, pauperis, omnibus, summis infimisque, jura æquasse. Equidem cum Reipubl. necessi-

necessitates exigere viderentur, novas condi leges, *Consulum autem nomen, teste ibid Livio, haud secus quam regum esset perosum*, nihil commo-  
dius inveniri poterat, quam si communi consensu eligerentur, quibus id  
daretur negotii: Consules enim admitti non poterant propter nominis  
invidiam, Tribunorum suspecta erat ratio, propter partium studium,  
ut ergo perpetuas semperq; valituras ferre possent leges, Decemviri ele-  
cti sunt, quibus nec odium nocere poterat propter rei novitatem, nec  
partium metuendum erat studium, cum propter summam illam pote-  
statem, qualem nec in Regibus, nec in Dictatore agnoscebant Roma-  
ni, tum quod illi soli magistratum gerebant, ceteri enim omnes sese  
abdicabant. *vid. Dionys. Halicarnas. 10. 64. Liv. 3. 32. Bacl. ad Tac.  
1. ann. 6. 1.*

XXXVIII. Verum cum Appius Claudius, circumspecta paulatim oc-  
cassione, ubiq; auram popularem captaret, iisq; quibus initio ad confer-  
vandam libertatem usus erat artibus, liberos homines sibi suaq; libidini  
faceret obnoxios, stuprata Virginii filia, res rediit ad Consules. Ne-  
tum quidem Tribunis cum Patribus contendendi exoleverat libido, hi  
enim communicari sibi magistratum, magno contendebant studio,  
illi contra pollui auspicia & majestatem summi magistratus credebant,  
si plebi etiam pateret, cumq; non desisterent Tribuni, *eo deducta res est,  
ut Tribunos militum Consulari potestate promiscue ex patribus & plebe crea-  
ri snerent, de Consulibus creandis nihil mutaretur vid. Liv. 4. 5. 6.* Ita  
tanta ista respublica, Domina gentium, cum modo unius regeretur  
autoritate, emineretq; regalis dignitas, modo paucorum, & optima-  
tum conspiceretur autoritas, modo omnium, & vis Democratici va-  
leret imperij, pulcherrimo docuit exemplo, magnas respublicas magnis  
obnoxias esse mutationibus, nec aliter in iis constare rationem, nisi o-  
mnia cum prudentia quadam tempori cedant & necessitati.

XXXIX. Idq; adeo verum est, ut ipsa etiam leges necessitati pareant,  
æstimenturq; commodo & periculo reipub. Equidem cum ad salutem  
civium, vitamq; omnium quietam & beatam leges condantur, nihil sa-  
ne tam naturale est, quam mutari eas, prorsusq; aboleri, si illud vel sin-  
gularis reipubl. utilitas, aut inevitabile aliquod damnum ita exigat:  
*Hoc enim spectant, hoc volunt leges, incolumen esse civium conjunctionem,  
quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis coercent ut inquit Cic. 3. Off. 5.  
Quod si ita est, hicq; ultimus est finis, quem spectant leges, sane non*  
com-

committendum, ut quæ in favorem & utilitatem reip. introductæ sunt, illæ ruinæ & interitus possint esse causæ, amittunt enim suam vim, desinuntq; esse leges, simulac utilitatem reipub. impediunt. Oprime igitur Epaminondas, cum imprudentiâ aliorum exercitum periturum intelligeret, quatuor mensibus diutius gessit imperium, quam lege erat permissum, cumq; hoc crimine accusaretur, ita respondit, ut à iudicio capitis maxima discederet gloria: noluit enim, ut testatur Nepos in ejus vita c. 7. & 8. in perniciem civitatis conferre legem, quam reipubl. conservandæ causalatam videret.

XI. Ita Lyfandro à Lacedæmoniis contra leges patrias prorogata est maris potestas, quod tunc nemini utilius ista committi poterat. *vid. Plut. in vitâ ejus.* Sic apud Romanos, cum ab initio semper duo Consules crearentur, quorum annua erant imperia, ita ut non reverterentur, qui semel gesserant, tractu temporis idem aliquoties admissus fuit, adeo ut Marius septimum fuerit denominatus, Cn. Pompejus ante annos, contendente Cic. pro lege Manilia in magnâ eximiaq; indole non oportere progressum ætatis expectare; neq; hoc solum, sed & eidem tertius consulatus & soli fuit delatus. Ita in dictatura idem observare licet, quæ cum ab initio nemo ultra sextum mensem uteretur, nec dictatori equum conscendere, aut extra orbem esse liceret, postea obsolescit paulatim hisce legibus, usus dictaturæ mansit, prout Reipubl. necessitates illum exigebant; nam & Camillus absens dictus est *Liv. 5. 46.* & Quintius ante semestre tempus expletum dictaturam deposuit *Dionys. Halicarn. 10. 30.* C. Julius in castris dictus *Liv. 7. 21.* Omnino huc referenda illa contentio, quæ de lege Appia abroganda fuit inter Tribunos & Conf. M. Porcium Catonem. Acriter, ne abrogaretur, pugnabat Cato, *unamq; tollendo legem cæteras infirmari censebat.*

XLI. Contra L. Valerius omnino abrogandam suadebat, utpote quam usus coarguebat, statusq; Reipubl. faciebat inutilem. Ego, inquit, quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reipubl. inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumq; bellum abrogat, quæ in bello, pax. Ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt. Lata enim erat lex Appia post cladem Cannensem, quæ rem Romanam

in.

in tantas redegit angustias, ut eo tempore ex necessitate Reipubl. inventa videretur lex, quæ nimiam mulierum luxuriam, quam eo rerum statu conditio Romanorum non pariebat, coerceret. *Hanc, florente Republicâ, crescente indies privata omnium fortuna, abrogari orabant, matronisq; pristinum cupiebant reddi ornatum.* Et sanè vicit sententiâ Valerij, legem Reipubl. causâ latam, ex necessitate Reipubl. mutandam contendentis. *Liv. l. 34. c. 1. 2. 3. & seqq.* Taceo his affinia multa alia, ex quibus constat, in quantum priscis illis Romanis salus & libertas patriæ semper sanctissima lex fuerit, optimaq; consuetudo, ad quam tanquam ad normam ceteras omnes revocarunt, atq; ita firmas & ratas esse voluerunt, prout huic fuere conformes.

XLII. Ceterum ubi tempora & necessitudo aliud svadent, omnino publicis usibus inutilis legum rigor fuit corrigendus, majoremq; tum laudem meretur, tempeitati prudenter obsequi, quam nimiam pervicaciâ omnia subvertere. *Debetur enim certè aliqua laus virtutis necessitati, Quinil. l. 1. cap. 8.* Inciduntq; sapius ea tempora, *ut necessaria gloriosis proponenda sint, etiamsi profana, sedaq; in usum illa versat, Vell. 2. no. 3. Tacit. 4. Hist. 60.* Hujus enim, ut Valerius cum emphasi loquitur, *7. 6. amarissima leges & truculentissima imperia non intellectu sanium, sed & auditu gravia perpeti nonnunquam cogunt.* Quæ tamen omnia omnem amittunt asperitatem si Reipubl. causâ fiant. Tantam enim habet efficaciam necessitas, ut quæ alias absq; scelere ne cogitare quidem liceret, illa, si hæc jubente parentur, summam induant speciem æquitatis, prudentissimusq; ita quisq; habeatur, prout huic cedere, temporibusq; sese aptare didicerit.

XLIII. Hinc laudem meruit Scipio Africanus, quod aperto ærario Reipubl. nocentem legis correxerit rigorem: etenim cum in tanto discrimine aliunde omnis desperata deplorataq; esset opera, satius erat, contra legem hinc, tanta urgente necessitate, petere præsidium, quam non succurrere laboranti Reipubl. *vid. Plut. in vitâ Scip.* Ita bello Punico secundo, cum Hannibal acriter insisteret Romanis, in summasq; illos redigeret angustias, maxima verò pars colonorum deficeret, militemq; & stipendia negarent, sanctius aperire ærarium placuit, unde deprompserunt, quantum ab belli necessitates opus videretur, *vid. Liv. 27. 11. & 12.* Servabatur enim sanctius ærarium ad ultimos casus, nec eò accedebant, nisi extrema coacti necessitate, qualis tum etiam imminere visa est, cum

C

Lentu-

Lentulus ex Senatusconsulto illud aperire juberetur, ad pecuniam Pompejo proferendam contra Cæsarem, *Cæs. 1. belli Civ. c. 14. Cic. 7. Attic. Ep. 20.* Ceterum si quis illud citra necessitatem attigisset, ejus caput factum erat. Quo ipso magis Cæsaris eminet facinus, qui cum fugato Pompejo urbem intrasset, quod Tribuni tardius illud aperirent, effringi jussit, censuram, & patrimonium Populi Romani ante rapuit, quam imperium uti loqui amat, Florus 4. 2. id quod etiam queritur 2. de bello civ. Lucan.

*Tunc orientis opes, captorumque, ultima regum,  
quæ Pompejanis prælata est gaza triumphis  
Egeritur, tristi spoliantur templa ruina.*

Ita, quod sanctissimum in extrema Reipubl. necessitate prisca veluerunt refugium, hujus dominandi exhaustit libido.

XLIV. Verum de hoc, aut simili exemplo non nostra est dissertatio, nec placent qui publicæ utilitatis velamine sua conantur tegere scelera. Illud est, quod dicimus, magnam necessitatis esse vim, & publicæ utilitatis favore multa posse fieri, quæ à legum & consuetudinis rigore recedunt; sed talem necessitatem in Cæsare non agnoscimus: sua enim erat utilitas, suus honos, quem querebat. Alia ratio est, si publica utilitas eam nobis imponat necessitatem, ut ad aspera transcendendum sit consilia, satius enim tunc est necessitati, quam dignitati consulere, & non mediocri prudentiæ est, temporibus aptare consilia. Hinc à Romanis bello Punico servorum liberis æquata est conditio. Etenim cum in gens illa apud Cannas clades in tantum opes Romanas concuteret, ut actum videretur de re Romana, ecce aliam formam, ut cum Liv. loquar. 22. 57. novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit. Octo millia juvenum validorum ex servitio empta, publicè armaverunt. Ita quæ civitas ad id tempus ingenue quoque originis capite census habere milites fastidierat, eadem cellis servilibus extracta corpora, & à pastoralibus casis collecta mancipia, velut præcipuum firmamentum exercitus suo adjecit. Val. Max 7. 6. 1. Neque Romani solum hoc necessitatis usi sunt remedio, verum & Athenienses, adversus Lacedæmonios, cum de dignitate & imperio illius esset certamen. Nam cum Alcibiade & Conone Ducibus in maximas angustias redigerentur, perditis desperatisque rebus, peregrinis civitatem, servitio libertatem, damnati impunitatem dedere, ex quæ colluvione conscripto exercitu, Domini antea Gracia, vix libertatem suebantur. vid. Justin. 5. 6. Cedit

470.

ergo interdum, ut iterum Valerij utar verbis, *generosus spiritus militati, & fortunæ viribus succumbit, ubi, nisi tutiora elegerit consilia, speciosa sequenti concidendum est.*

XLV. Huc referri meretur raptus Sabinarum virginum. Equidem cum iuste perenti Romulo contra jus fasq; negaretur societas connubiumq; à vicinis, nihil sane aptius inveniri poterat, quàm si fraudem fraude anteverteret: agebant enim id vicini, ut ademptâ spe prolis, res Romana, & tam brevi in gremio illorum exurgens moles, à quâ sibi posterisq; admodum metuebant, sponte suâ concideret; & sanè actum fuisset, nisi Romulus dissimulata ægritudine, indictis *Consualibus*, conatus illorum prudenti eluisset dolo; exemplo non absimili Benjamitarum, quibus cum reliqui Israelitarum tribus propter juramentum, quo sese obstrinxerant, matrimonium negare cogentur, horum consilio Siloitarum rapuerunt virgines, ita excusantes factum, se non belli aut victorum more abduxisse filias, sed ipsorum culpa injustè tulisse repulsam, satius ergo id esse, quàm delere tribum ex Israel. vid. *Judic. c. 21. Liv. 1. 9. Dionys. Hallic. 2. 31. Clapmar. de artan. 4. 7.* Nequaquam autem huc referendi sunt Partheniæ Lacedæmoniorum, quorum meminit *Justinus 3. 4.* Hujusmodi enim facta solâ inevitabili necessitudine excusantur, qualis Spartanis eo tempore imposita non fuit, ut taceam, ipsas divinas leges esse violatas, in quas, ut supra diximus, nulli necessitati quicquam licet.

XLVI. Accidit tamen, ut ea, quæ Deo ejusq; Numini consecrata sunt, ex ingenti Reipubl. necessitate citra peccatum possint alienari, & in usus profanos transferri: ira Romani apud *Liv. 22. 57.* In tam tristi post stragem Caunensem statu, cum omnis aliunde desperata esset opera, & præsentissima quæq; maximè essent exoptata, arma, tela, & vetera hostium spolia, templis detraxere porticibusq; ad præsentem sublevandam calamitatem. Themistocles cum Athenas mœnibus circumdaret, *nulli loco pepercit, sive sacer ille esset, sive profanus, sive privatus, sive publicus, sed undiq; quod idoneum ad muniendum esset, congerere jussit.* Nep. in ejus vita c. 6. David Goliathi gladio usus, nec pane jam consecrato abstinuit *1. Sam. 21.* Hiskias, ut Sennacheribum cum terribili manu à sese averteret, suisq; postulatis satisfaceret, omnem templi thesaurum exhausit, omnemq; ædi detraxit ornatum *2. Reg. 18 v. 13. 14. &c.* Ita in obsidionibus sæpius suburbia incensa, aliaq; multa, quæ bella trahunt, observare licet,

licer, cum maximo conjuncta privatorum damno; quæ etsi aspera ab initio videntur, maximamq; secum trahere iniquitatem, superantur tamen ista publica utilitate, cujus respectu privata parvi æstimantur.

XLVII. Unde fit, ut urgente extrema necessitate subditis citra injuriam gravis satis onera imponi possint, tributaq; pro necessitate Reipubl. exaggerari, ad evitandam præsentem tempestatem. Quod dum dicimus, nequaquam iis assentimur, qui ingeniosi novorum onerum in gratiam aulicorum inventores, ita maxime ingenium ostentasse se arbitrantur, prout novâ arte subditos suis exuere possunt bonis. Nolim illud, quin potius nihil efficacius esse arbitror ad retinendos subditorum animos, quam si nonnihil ex tributis illis remittatur, exemplo Germanici apud Tacit. 2. Ann. 56. 4. à quo Cappadociæ quædam ex regiiis tributis diminuta sunt Quo initium Romanum imperium speraretur. Et sanè quo magis omnia plebs Principi vel sponte suâ concedit, vitamq; pro hujus incolumitate amittere non dubitat, nihilq; magis requirit, quam ut bona sibi maneant integra, eaq; quæ pertinent ad vitæ commoditatem; eo gravius fert, si nimia exactione iis sese privari intelligat. Hinc sæpius regna concussa, magnaq; eversa sunt imperia; Nam & Galliarum civitates rebellaverunt quod continuatione tributorum, gravitate fœnoris, sevitia & superbia præfidentium divexarentur Tacit. 3. A. 40. Et Gallis avaritia aliis juncta causas fatales fecit *Vesperas Siculas*, *Aretinus* 3. *Histor.* Ludovico Sforziæ Mediolani principatum abstulit. *Gvicciard.* 1. *Hist.* vid. ingentem horum Syllabum apud *Forstner.* in *Tacit.* 4. *Annal.* c. 74. Omnino ad hujus loci explicationem facit egregia consultatio statuum Galliarum apud *Thuan.* l. 63. in *Histor.* *Anni* 1. 5. 76. p. m. 247. Verum cum fatales sæpe incidant necessitates, nec, dicente Ceriali apud Tacit. 4. *Hist.* 74. 2. *quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possint,* omnino ad subditorum opes confugiendum, si Respublica aliter salva esse non possit, dummodo non ipsa necessitate graviora imperentur, & exactio cum ipsa tollatur necessitate, observandumq; imprimis illud Ciceronis 2. off. c. 21. si quâ hujus rationis necessitas alicui Reipubl. obvenerit, id operam esse dandam syadentis, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum.

XLVIII. Huc pertinet de monetis observatio, cujus mutatio haud mediocre sæpius Reipubl. fuit subsidium, exemplo Hyppiarum apud *Aristotelem* 2. *æcon.* qui mutato valore & constituto novo pretio omnem  
ad

ad se deferri iussit pecuniam. Sic Romani post cladem Cannensem, cum impensis Respubl. non sufficeret, mutato valore nummi, quintam partem lucri fecerunt *Plin. 33. 3.* Sic asses modo unciales, modo semiunciales facti, quod perstringit, *Plautus in Casina prologo.*

*Nam nunc nova quæ procedunt comædiæ,*

*Multò sunt nequiores, quam nummi novi.*

Sic in obsidione Lugdunensi Vir incomparabilis Janus Duza ex necessitate chartacea usus est moneta, cum hac inscriptione, hac libertatu ergò, quam obsidione solutâ in argenteam bona fide mutavit Thuan. 59. ad Ann. 1574. p. 80. Verùm cum mutatio monetæ vix absq; incommodo subditorum fieri possit, rarò ad hanc accedendum est, aut certe, quantum fieri potest, cavendum, ne cuiquam fiat injuria. vid. prolixè hoc argumentum persequentem *Besold. de erar. puòl. c. 6.* Ad eum modum quoq; in nostra Pomerania præsidio Cæsareo Præfectus *Perusius* in Urbe *Gryphiswald.* anno 1631. monetam stanneam fieri curabat cum hac inscriptione: Neccesitas Gryphiswaldie.

XLIX. Ceterum exemplo etiam multa fieri possunt, quæ non parum videntur habere iniquitatis, quæ tamen, si penitus reputentur, facile publicæ utilitatis respectu superantur: In his sunt omnia ista, quæ ita in Republ. sunt, ut pœna ad paucos, terror ad omnes perveniat, plusq; hic interdum exemplo proficere licet, quam gravitate pœnarum. Talia sunt animadvertere in autores scelerum, reliquis concedere veniam. Ita *Menenius* vexillariorũ seditione præsentis duorum militũ represit supplicio, bono observante ira *Tacito* l. Ann. 38. magis exemplo, quam concesso jure. Sic *Populus Romanus* L. Saturnino seditioso cive trucidato, ædes ipsius ab imo fundamento subvertit. *Vell. 2. 12. 6.* Athenienses *Timagoram*, quod *Darium* more gentis salutasset, capitali affecerunt supplicio, unius civis devorione humili rotius urbis decus dominationi *Perficæ* submissum graviter ferentes. *Plutarch. in vita Artaxerxis.* Huc pertinet *Cambysis* factum, qui atroci pœna, ne quis iudex corrumpi possit, cavere voluit *Herod. 3.* Imprimis vero ad hujus loci illustrationem facit illa Romanorũ ratio, quâ ad coercendam vagam militum libidinem aut compescendam nimiam licentiam, decimum quemq; sorte trahebant ad supplicium.

L. Dura hæc videtur ratio, & atroci aures percutit vulnere; sed peccante ingenti multitudine, latitantibusq; autoribus, omnes, neminemq; plectere

plectere juxta periculosum injustumq; est. Sorte ergo si deligantur, iis, quibus contingit, formidabile est, nec minus ceteri, quod meruant, habent, ne in posterum ad idem sorte rapiantur supplicium: & huc pertinet illud Ciceronis Verrin. s. sub fin. Utilius esse, dicentis, unius improbi supplicio multorum coercere improbitatem, quam propter multos improbos uni parcere.

LI. Ingruunt autem haud raro hujusmodi mala, quæ ferri salvæ Reipubl. nequaquam possunt, tollere autem eas ordinaria viâ, non minus habet periculi: Cuniculis igitur sæpius agendum, sæpiusq; post pœnam primum de crimine cognoscendum. Imprimis id locum habet in iis, quorum potestas Reipubl. formidolosa, aut qui rerum novarum cupidi, misceri omnia, quam minus valere Reipubl. malunt. Cum his enim judicio rem experire, haud raro majoris mali est causa; aliâ ratione illos placandi deest occasio. Satius ergo, quacumq; ratione illos tollere, quam totam Reipubl. illis dare lacerandam: neq; in his crudelitatis aut injustitiæ metuenda est culpa, quorum consilia, nisi hac ratione eluderentur, in cædem atq; internecionem verterent. Ita L. Opimicus Cos. Caj. Grachum & M. Fulvium cum liberis indictâ causa merito statim occidisse existimatur, vid. Vell. 2. 6. Scipio Nasica Tiberium Grachum res novas molientem manu sua interfecit, Id. 2. 2. In L. Saturnino Trib. pleb. & Caj. Servilio prætore eodem jure factum est; quin & Q. Servilius Ahala Spurium Melium propter suspicionem rerum novarum interemit, idem minatur Catilinæ Cic. orat. 1. Catilin. c. 1.

LII. Quæ omnia etsi dura admodum videantur, & fatius fuisset judicio rem experire, tamen id propter seditionis metum nequaquam licuit. De his enim dici posse arbitror, quod Vellejus de Cinna, istam injuriam hominibus, quam exemplo digniorem fuisse, 2. 20. 3. Et de Clodii cæde 2. 47. 4. Illam exemplo inutili, facto salutari patratam. Itemq; illud Taciti 1. Ann. 38. bono magis exemplo, quam concesso jure. Vid. Bœcler. has locutiones explicantem ad cit. Vellei locum; Quin & nostra ætate Dux Fridlandensis, cum dubia ejus esset fides, & periculosa paulatim divulgarentur consilia, in auditâ causâ obruncatus est; quem eo rerum statu, cum omnis miles suo nutu regeretur, arbiterq; esset totius belli, in judicium vocare minime operæ fuisset pretium. Sic & in Gallia Marchio & Marschallus d' Ancre, cum superbe multa faceret, metuèreturq; nimia ejus potestas, miserè vitam finivit. Huc referri posse arbitror factum Tymoleontis, qui

qui fratrem Timophanem, quod tyrannum eorum occuparet, interficiendum curavit, & cum particeps posset esse regni, antetulit civium suorum libertatem fratris saluti, & patriæ legibus obtemperare satius duxit, quam patriæ imperare. Factum ejus adeo non improbatum est, ut potius laudem meruerit, quippe quod illud non fecerat odio fratris, sed incredibili impulsus amore patriæ vid. *Nepot. in ejus vitâ, c. 1.*

LIII. Ita hi homines dignum quidem vitâ factisq; suis, & prout Reipubl. salus illud exigere visa est, vitæ invenerunt exitum, cum tamen ipsa ratio & modus non nihil videatur ab æquitate recedere. Contra nonnunquam accidit, ut citra culpam innocens quis trahatur ad supplicium, cum tamen causa, propter quam plectitur, sit justissima. Cujus rei exemplum celeberrimum ex auditu hoc habeo: Magnus Gabriel de la Garde, seu quis alius, cum Svecorum adversus Polonum duceret exercitum, laxaq; admodum esset disciplina; ut militem cohiberet, vindicem rerum capitalium, quisquis primus ordinem libidinosè deserens obvius sibi foret, laqueo gulam frangere jussit. Sors Scotorum quendam contingit, cum quo, sicut imperatum erat, facit. Pauci intererant dies, cum exercitus educitur ad prælium per eum locum, ubi miser alligatus erat, quem cum conspiceret Scotorum cohors, causam rei ignorans, sociiq; contumeliam, cujus se credebat participem, indigne ferens, rebellare cæpit. Obstupuit ob rei novitatem imperator, cum quantum periculum sibi immineret, intelligeret, aderat enim in conspectu hostis, & in eo erat, ut signo dato, infestis concurreretur signis: verbis igitur eos placare aggressus, ingentibusq; promissis, frustra; tandem, cum nihil tibi reliquum esse videret, necessitate coactus, ipsum vindicem, qui nihil, nisi quod erat imperatum, fecerat, manu suâ transfodit: Ita innocenti sanguine servatus exercitus, partaq; victoria... Durum facinus, & non facile sequendum! Verum inter præcipitia, necessaria potius subeunda fuerunt, cum media sequi deterrimum fuerit, ut est apud Tacit. 3. Hist. 40. 4. Hic enim vere illud Curtii 5. 1. observandum fuit, non speciosa dictu, sed usu necessaria sequenda esse. Illudq; Livii 9. 4. Necessitati, quam ne Dij, (ut Ethnicus loqui amat) quidem superant, parendum esse, imprimis cum dicente eodem 4. 57. belli necessitates non expectent humana consilia, quanquam oprandum potius sit, ne ulla nos necessitas ad hujusmodi media transire cogat, quæ pietatem haud mediocriter videntur offendere.

LIV. Quemadmodum autem malum Reipubl. nonnunquam quæ-  
eunq; ratione tollendum arbitramur, ita econtra sæpius ea incidunt  
tempora, ut ferri illud aliquandiu satius sit, quam violenter extirpari;  
id quod tum imprimis observandum, cum usq; eo illud creverit, ut, si  
subito tollere velis, majus metuendum sit incendium. Dissimulare igitur  
nec acriter nimis omnia persequi, hauri raro erit e Reipubl. Est enim  
ita comparatum, ut evocata virtus altius emergat, vimq; ostendat suam;  
eademq; ubi nulla est occasio, quiescat. Romanis ad tantum fasti-  
gium nihil æquè profuit, quam vicinorum odium, perpetuaq; ab ipso  
primordio, bella. Hæc causa, hæc occasio tanti fastigii. Nam cum vicini  
ipsorum incrementum, & exsurgentem imperii molem quacunq; ra-  
tione impedire satagerent, hinc genti bellicose occasio data, se suosq;  
penates tuendi, hæc causa, cur brevi in tantum excreverit, ut gentium  
terrarumq; Deæ meruerit nomen. Nunquam Cæsar principis in Reipubl.  
Rom. nomen fuisset adeptus, nisi intempestivè suam potestatem, quam  
ipsi cumulare in eum contulissent, infringere conati essent, quod in-  
dignè ferens acerbe se suamq; vindicavit potestatem; quanto tum satius  
fuisset, dissimulato metu, petitis ejus satistecisse, & paulatim res novas  
moliendi sustulisse occasiones. Verùm cum non satis ingenium Cæ-  
saris noscerent, quod heroico spiritu sufflaminatum alra semper cupie-  
bat, hinc fatalis illa Reipubl. conversio, quæ nunquam facta fuisset, si se  
Cæsaremq; rectè æstimare didicissent Romani; Vid. egregiè hac de re dif-  
ferentem Cl. Boeclerum in *Charact. Vell. c. 2. & Machiavell. 1. Dis-*  
*curf. c. 33.*

LV. Eadem ratione hoc argumento delicta graviora mitius puniri,  
aut etiam plane remitti possunt: contra leviora gravius plecti solent, ut  
reipubl. sua constet tranquillitas, iisque securitas, quibus rerum commissa  
est summa. Imprimis illud observare licet in iis, qui majestatis crimine  
accusari solent, qui atroci ut plurimum exemplo scelerum suorum launt  
pœnas: nam & Sejanus non ipse solum tractus est ad supplicium, verum  
etiam liberi ejus, in quibus puella, quæ adeo criminis parentis nescia, ut  
dicente Tacito 5. ann. 9. 2. crebrò interrogaret, quod ob delictum & quò  
traheretur? neq; facturam ultra, & posse se puerili verberare moneri; neq; hoc  
solum, verum etiam bona ejus in fiscum coacta, sociiq; ejus interfecti  
sunt, quemadmodum apud *Curtium l. 8. c. 6. 7. & 8.* Parmenio, Philo-  
tas Amyntas Hermolabus sociiq; qui occidendi regem inierant consilium  
excruc-

exercitati sunt. His conjungi possunt exempla nobiliora alia, apud Livium & recentiores, ubi magna & multa hujus generis argumenta obvia sunt, ex quibus observare licet, quæ tempora, quæ causæ, quæ jura, ex regulis status, aut utilitate reipub., adeoque prudentiæ interioris arbitratu crimen majestatis pro necessitudine reipubl., vel angustius circumscripserint, vel porrexerint latius, vel effinxerint speciosius, vel solertius tractaverint; quæ gravitatis fuerint propolita, quæ lenitatis.

LVI. Accidit enim haud raro, ut mitigare pœnas, aut dissimulare non minus necesse sit, cum, si statim rapiatur ad supplicium reus, majus metuendum sit malum. Secedendum ergo nonnunquam ab acri illo justitiæ tramite, nec indignabitur illa, haud usquequaque sibi presso pede adherere principem, cum nimis quæsitus æqvitatæ rigor summæ iniqvitatæ possit esse causâ. Davidi sane plus prudens profuit dissimulatio, quam forsân pœnarum potuisset atrocitas. Etenim cum multa libidine faceret Joabus, quæ regis iram mortemque merebantur: nam & Abnerum nefandâ obruncavit cæde, Amasânque sceleratè vitâ amici nomine privavit. Taceo acrem illam orationem, qua Regem lugentem à sese vetitam Absolonis cædem increpabat. Dissimulavit hæc omnia Rex, & cum justè ultimo hominem facinorosum posset afficere supplicio, noluit id facere, ne, cum omnis populus sub illius esset manu, majus excitaret incendium. Eadem ratione, cum redux Hierosolymam pergeret, ignovit Simei, qui multa, cum Absolonis fugeret tempestatem, in ipsum jecerat probra; noluit enim sanguinolentum esse istum diem, quo cum maxima omnium hilaritate ad sceptra revocabatur vid. 2. Samuel. c. 3. c. 19. c. 20. Ita Rex incomparabilis prudenti dissimulatione & tempestiva lenitate sibi conservavit securitatem, plurimasque antevertit turbas, quæ omnino metuendæ fuissent, si contra Joabum obfirmasset animum, vimque imperii ipsum voluisset experiri. Et huc pertinet, quod Tacitus dicit in Agric. c. 19. 4. Omnia scire, non omnia persequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec pœna semper, sed sæpius pœnitentiæ contentum esse oportere.

LVII. Verum enim verò cavendum hic sedulo, ne remittatur pœna hujusmodi delicti, quod est contra Deum, Naturam, Gentiumque conventa. Quamquam enim Princeps multa pro suo, aut reip. commodo remittere potest, tamen id non latius patet, quam, quæ

D

Prin

Principem rem ve publicam respiciunt; ceterum quæ dictis legibus aliter præcipiuntur, in his Principi aut rationi status nihil quicquam licet. Sunt enim hæ firmi & perperui cancelli seu limites, quos si transfiliat ratio status, non Ratio Status, sed Status flagitium appellari meretur. Hinc Rationem Status aliam Veram facimus, aliam Falsam. Illam, de qua hætenus disseruimus, amamus, omnibusq; bonis commendamus; hanc fugimus, averfamur, detestamur, utpote quæ non honestam aut licitam reipubl. spectat amplificationem, sed dominantium tuetur ambitionem, securitatem tyrannorum, eaq; quæ sui fastigii, aut utilitatis causa potius, quã salutis publicæ, impia imperantes suscipiunt consilia. Equidem est ista haud mediocris nostri seculi infelicitas, quod, cum ab initio hoc consuetudinis nomine salus & necessitas reipub., honestaq; administrationis civilis συνουσιας denotaretur, nunc tractu temporis totum κακοπραγμοσύνης πολιτικῆς commentum hoc decoro in speciem vocabulo cœperit involvi. Quæcunq; enim parandi, retinendi, intendendi dominatus ergo, citra, aut contra jus & fas, per vim & dolum geruntur, hoc mangonio publice exponuntur, hoc titulo in vulgus obtendantur.

LVIII. Talia sunt, novi Principatus securitatem stabilire cæde illustrium virorum, qui vel sanguinis generisq; jure mereri, aut sperare Principatum videntur, vel claritudine virtutum & famæ pares imperio, ideoq; si casus daretur, aufuri aliquid timentur. Hinc tot parricidia in historiis, tot propinqvorum cædes passim leguntur. Ita enim Tiberius sub initio Principatus Agrippam ignarum inermemq; interfici curavit Tacit. 1. ann. 6. Abimelechus hominum scelestissimus, ut solus rerum post Gideonem potiretur 70. fratres interemit Judic. c. 9. In Aula Ottomannica Tyrannico magis, quam regio more, fratres, affines, Bassæ, Visleri obruncantur, vide pluribus Clariss. Boel. ad Ann. Tacit. 1. 6. Clapmar. arcan. 5. 5.

LIX. Sic quæcunq; proferendi imperij, magnorum præmiorum, opumq; gratia nefaria suscipiuntur bella, hoc nomine excusari solent, nec desunt unquam callidi illi dominationis Magistri, qui cum Tiridate apud Tacitum 15. Ann. 1. 5. non ignavia magna contineri contendans imperia. Id in summa fortuna æquius, quod validius. Et sua retinere privata domus: de alienis certare regiam laudem esse. Quæ etiam Alexandri  
confi-

consilium apud Curt. 6. 3. 10. *quæ cepimus, amittenda non sunt, & quæ non habemus, occupanda: sicut in corporibus ægris nihil, quod nociturum est, medici relinquunt; sic nos, quicquid obstat imperio, recidamus.* De quibus sane dici potest, quod Plutarchus in Agesilæ de Lacedæmoniis usurpavit: *jus aliud nec discunt, nec norunt, quam unde existimant spartæ magnitudinem & incrementa promoveri posse.* quo crimine etiam accusantur à Themistocle apud Nepot. in hujus vita c. 7. 6. *Lacedæmonios male & injuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universæ Græciæ utile esset.* Scilicet est una & ea vetus bellandi causa, profunda cupida imperii & divitiarum secundum Salustium in fragmentis. 4. *histor.* Id quod eo minus mirum, quippe quibus penitus pervasum, omnia, ut idem in fragmentis loquitur, retinendæ dominationis honesta esse; hinc illud Eteoclis apud Euripidem, quod vertit Cic. 3. off. 21.

*Nam si violandum est jus, regnandi gratia  
Violandum est: aliis rebus pietatem colas*

quod dictum admodum familiare etiam fuit Cæsari, quem propterea hic objurgat Cicero. Nota est Lysandri levitas, qui teste Plutarcho in ejus vita, fide & juramentis, sicuti pueri astragulis, lusit, & Philippus Macedonum Rex jurisjurandi fidem ex commodo regni sui æstimavit, unde horrenda perfidiæ ipsius exempla apud Justinum l. 8. c. 3. 4. &c. Vid. Nepotem de Lysandro 6. 1. 4. &c. De Dionysio Corinthiorum Tyranno 10. 4. 3. &c. Adde Justinum. 1. 7. 12. ubi not. Cl. Berneg. dominationis firmandæ obvia flagitia suspicio & crudelitas 21. 2. 2. Huc quoque pertinent illæ injuriæ, quæ calumniâ quadam, & nimis callidâ juris existunt interpretatione, qualis illius, qui dierum, non noctium inducias factas dicebat, aut illius, qui finium agri arbiter datus, cum utriusque separatim locutus, ne cupide quid agerent, nec appeterent, atque ut regredi, quam progredi mallet, id cum utriusque fecissent, ita illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit, in medio relictum quod erat, Populo Romano adjudicavit. Cic. 1. Off. 19.) Adeo justitiæ

justitiæ mortales capir oblivio, cum in imperiorum, hono-  
rum, gloriæve incidunt cupiditatem; verumq; manet illud  
Ennij apud Ciceronem i. Off. 8. *Nulla sancta societas, nec fi-  
des regni est.*

LX. Ceterum hæc in his augustiis qualicunq; modo descri-  
bere potius, quam accurato stylo persequi potuimus: Neq;  
enim amplissimum argumentum exiguis paginis, quibus dif-  
fertationis absolvitur modus, includere licuit. Paratam igitur  
nobis speramus excusationem, quod argumentum nobilissi-  
mum hebetiori attigerimus ingenio, aut in plerisq; non  
tam status explicationem posuerimus,  
quam materiem.

Ad Dn. RESPONDENTEM.

**D**E RATIONE STATUS proponis lemmata; sed non  
DE RATIONE STATUS, quæ ratione caret.

De RATIONE STATUS, inquam, rationis & artis  
Plenas, artis amans scribis, Amice, theses.

Laudo conatus. Conatus opto secundos

Ritè laboranti pro RATIONE STATUS.

PRO RATIONE STATUS pugnet rationis ad usum,  
Qui pugnat, ne jus, fas, pietasq; cadant.

Nam STATUS, & RATIO labat, ii Respublica pessum,  
Si gemat & pietas, & violata fides.

Sed quò delabor? Studium, captosq; labores

Urge, KLINCKOVI, spontè sequetur honos.


scrib.

PRÆSES.



INDEX  
Disputationum, post A. B. D. Arvina: explicatarum  
anneyarum.

1. De Legitima defensione
2. De Matrimonio
3. De Servitutib. realib. et personalibus
4. De Transactionibus
5. De pactis
6. De Transmissione
7. De Pacto successorio
8. De Rei vindicatione
9. De Dolo & culpa & casu fortuito
10. De possessione iure
11. De Mutuo
12. De jure Emphyteutico
13. De Continentia Causa
14. De maâ Finium Reguendoru
15. Analysis 1. 50 ff. Famil. ereciscend.
16. De collatione Bonorum  
~~17. De Adoptione~~
18. De fideiusoribus
19. De Prioribus & Hypothecis
20. De Sequestratione
21. De Juramentis
22. De Publicis Iudicijs
23. De jure et privilegijs Comitû Palatinoru Casareoru
24. De Imperatoris Romano-Germanici Majestate
25. De privilegijs Nobilitati
26. De Ratione Statuû.







excruciati sunt. His conjungi possunt exemp-  
vium & recentiores, ubi magna & multa hujus-  
sunt, ex quibus observare licet, quæ tempor-  
regulis status, aut utilitate reipub., adeoq; pri-  
tu crimen majestatis pro necessitudine reipu-  
scripserint, vel porrexerint latius, vel effinxi-  
tractaverint; quæ gravitatis fuerint proposit-

LVI. Accidit enim haud raro, ut mitigare po-  
minus necesse sit, cum, si statim rapiatur ad su-  
tuendum sit malum. Secedendum ergo non  
sticiæ tramite, nec indignabitur illa, haud usq;  
hæreret principem, cum nimis quæsitus æquit-  
tatis possit esse causa. Davidi sane plus prud-  
quam forsitan pœnarum potuisset atrocitas. E-  
nose faceret Joab, quæ regis iram morte  
Abnerum nefandâ obruncavit cæde, Amasani  
mine privavit. Taceo acrem illam orationem  
sefe veritam Absolonis cædem increpabat. Dis-  
& cum justè ultimò hominem facinorosum  
noluit id facere, ne, cum omnis populus sub  
excitaret incendium. Eadem ratione, cum re-  
geret, ignovit Simei, qui multa, cum Absolon-  
in ipsum jecerat probra; noluit enim san-  
diem, quo cum maxima omnium hilaritate  
vid. 2. Samuel. c. 3. c. 19. c. 20. Ita Rex incom-  
lacione & tempestiva lenitate sibi conservavi-  
antevertit turbas, quæ omnino metuendæ fu-  
obfirmasset animum, vimq; imperii ipsum vol-  
tiner, quod Tacitus dicit in Agric. c. 19. 4. Om-  
qui; parvis peccatis veniam, magnis severitatem e-  
per, sed sæpius penitentia contentum esse oportere.

LVII. Verum enim verò cavendum hu-  
pœna hujusmodi delicti, quod est cont-  
Gentiumq; conventa. Quamquam enim Princeps  
commodo remittere potest, tamen id non.

D

a, apud Li-  
nenta obvia  
væ jura, ex  
ris arbitra-  
tus circum-  
el solertius

ulare non.  
majus me-  
cri illo ju-  
o pede ad-  
næ ini-qui-  
ffimulatio,  
ulta libidi-  
ur: nam &  
à amici no-  
agentem à  
omnia Rex,  
supplicio,  
nu, majus  
ymam per-  
estatem,  
esse istum  
vocabatur  
ti dissimu-  
plurimasq;  
ra Joabum  
Et huc per-  
omnia perse-  
pæna sens-

remittatur  
aturam.  
o, aut reip-  
vam, quæ  
Priur

